



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1563 usque ad annum 1566

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118626

§. 85. Variæ Pontificis Bullæ pro disciplina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67192](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67192)

teras Gonzaga Cardinalis ex Presbyteris postremus, cum nullus e Cardinalibus Diaconis tunc adesset, in Patrum Senatu prælegit, ubi etiam summus Pontifex hunc Regem summis laudibus vel eo nomine honorabat, eo quod idem, quamvis ejus Regnum hæreticis undique repletum esset, cuncta tamen concilia, quæ ipsi humana prudentia ad conciliandos eorum animos suggerere poterat, contempserit, plurisque habuerit Concilii Tridentini acceptationem, illiusque promulgationem: ea propter omnibus Cardinalibus, qui variorum regnorum Protectores erant, in mandatis dedit Pontifex, ut cunctos alios Principes datis ad eos literis hortarentur, atque eis præclarum hoc Poloniæ Regis exemplum proponerent, & ad æquale Religionis studium animarent. Ceterum hujus Regis edictum de exteris hæreticis Regno expellendis datum est die septima Mensis Augusti. (*)

§. LXXXV.

Varicæ Pontificis Bullæ pro disciplina.

T 5

His

(*) Constat igitur, quod Tridentina Synodus exceptis Gallis, ab omnibus aliis fuerit recepta, ac alicubi promptiorem promulgationem duntaxat hæretici retardaverint.

Sæcul. XVI.
A. C. 1564.

Sæcul. XVI.
A. C. 1564.

Ciccon. t. 3.
pag. 880.
Spond. hoc
ann. n. 2.

His ita peractis Pius IV. summus Pontifex unice Ecclesiæ disciplinam juxta Synodi decreta restaurare intentus erat: quapropter primo, quod edidit, diplomate Episcopos, aliosque, quibus animarum cura demandata erat, ad residendum adstringebat, præcipiens, ut eorum, qui residere renuunt, bona Cameræ Apostolicæ ærario cedant. Exstat adhuc alia Bulla magis severa circa eandem residendi legem; tertia autem declarabat Pontifex, quod gratiæ, per quas cuncti de beneficiis provisi, ob studia autem absentes absque Residentia fructus percipere permittebantur, sine Ordinariorum consensu nullius valoris essent. Denique quarta emanabat Constitutio, qua severissimis poenis omnes, qui beneficia *in confidentiam* retinent, subjicit, simulque juramenti formulam præscribit, qua omnes, qui beneficia possident, tam sæculares, quam Regulares, tam Clerici, quam Laici Ordini cuidam militari adscripti, ante sui beneficii possessionem sese obstringere tenentur. Hæc jurata fidei professio in Concilii actis ad calcem reperitur, Bulla vero, quæ hac occasione Idibus Novembris, seu die decima tertia ejusdem Mensis edebatur, his concepta est verbis.

§. LXXXVI.